



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio XII. Vtrùm hæc scientia sit vnus simplex habitus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 11.

habet pro ratione formali obiectiua, non quidditatem Dei, sed quidditatem accidentis. Quare est impotens ad beandum, vt cum S. Thoma dixi 1. p. q. 12. art. 2. Ad tertium, id contingit modo diuerso: quia creaturæ cognoscuntur in Deo comprehensiuè, & à priori; Deus autem in creaturis non quidditatiuè, sed abstractiuè à posteriori. Ad quartum, difficultas est communis: negari enim non potest sine hæresi, Deum à nobis cognosci per creaturas, cum tamen multi negent Deum à se ipso cognosci per creaturas. relinquitur ergo disputandi locus in quauis sententiâ. id autem spectat ad 1. p. q. 14.

SVBSECTIO IV.

Sententia vero similior.

§. 130. **V**erior ergo sententia est communis, Deum cognosci euidenter in visione beata, & reuelatione. ita S. Thomas art. 1. asserens omnia reuelata cadere sub hanc sententiam, Caietanus expressè, Durandus, P. Suarez, & alij adducti §. 96. recentioresque communiter, quibus adscribe P. Vasquez 1. p. disp. 135. cap. 3. sine; quam negat in alio sensu: P. autem Valentia solam cognitionem intuitiuam negat. Probat: quia hæc obiecta per propriam speciem cognosci possunt quidditatiuè: sic autem cognita ducunt in cognitionem rerum; cum quibus habent essentialem connexionem. Deinde cognitio quidditatiuè tribus vnionibus hypostaticis ad tres personas, cognoscuntur etiam illæ. Tandem dæmones euidenter cognoscunt hoc mysterium; quia sciunt multos æternum à Deo puniri, quia illud negauerunt; certi pœnam illam esse iustissimam. Quamobrem S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. asserit dæmones euidentia signorum conuincere ad euidentem notitiam doctrinæ Ecclesiæ, vt Deum esse trinum, quamquam non in ipso Deo: sed quæ dæmones cognoscunt euidenter, multo melius cognosci possent per hanc scientiam ab angelo non beato: ergo.

SECTIO XII.

Verum hac scientia sit vnus simplex habitus?

§. 131. **O**stendi disp. 16. de Anima scientias naturales constari ex pluribus habitibus specie distinctis, quorum singuli inclinant ad vnum actum specie, non verò ad plures. ibidem & vol. 2. disp. 8. probaui fidem, & reliquos habitus supernaturales per se infusos esse ad plures actus specie distinctos, quales sunt fides, spes, & charitas, quorum singuli sunt vna simplex qualitas. Disquiro nunc vtrum scientia per se infusa, quam hac tota disp. probaui, sit vna simplex qualitas, an verò plures?

§. 132. Recognosce quinque esse genera obiectorum formalium, quæ per se primò cognosci possunt per scientiam supernaturalem, non beatam. Primum est, vnio hypostatica: Secundum, gratia habitualis cum omnibus suis effectibus: Tertium, futura libera: Quartum, substantiæ naturales spirituales completæ: Quintum, substantiæ naturales corporeæ completæ. Adde obiecta sci-

entiarum subalternarum, quales sunt mathematicæ, logicæ, & mechanicæ. Tandem scientiam infusam constitui cum S. Thoma q. 11. art. 2. sine dependentia à phantasmatis: item & dependentem in parte ab ipsidem phantasmatis cum eodem S. Thoma eadem q. 11. art. 4. Est igitur dubium vtrum obiecta tam varia, & cum tam diuerso modo amplectatur habitus idem.

§. 133. Dico Primò: Scientia per se infusa, vt contemplatur hæc omnia obiecta, non est vnus habitus, sed plures. ita censuit S. Thomas q. 11. art. 6. Probat: quia est contra rationem habitus, illi assignare pro obiecto formali omne ens creatum, & creabile cognitum immediatè. Confirmatur. alij habitus per se infusi non sunt tam vniuersales. Fides enim habet obiectum formale, auctoritatem & reuelationem Dei: ille autem habitus (si alius est) cuius memini vol. 2. disp. 8. quamuis non contemplatur immediatè reuelationem Dei, ab illa tamen pendet radicaliter: quem item partitus sum pro diuersitate obiecti naturalis & supernaturalis: cum item sequatur reuelationem Dei, non est inconueniens, vt sequatur vnitatem fidei: at verò scientia per se infusa attingit clarè hæc omnia obiecta. Quod item patet ex habitibus voluntatis: charitas amat Deum solum vt obiectum formale, spes beatitudinem solum, religio solum cultum: itaque non est vna virtus, quæ amet omne bonum propter ipsum; sed diuersa bona amant virtutibus diuersis: ergo idem erit in intellectu.

§. 134. Dico Secundò: Possumus commodè partiti hos habitus per diuersitatem obiectorum. Vnus ad substantiam supernaturalem completam, propter se ipsam considerandam; eius autem accidentia propter ipsam: alius circa vnionem hypostaticam propter ipsam: alius circa gratiam habitualem, & omnes eius virtutes, actus, & characteres: quartus circa substantias completas spirituales actu existentes, & possibiles: quintus circa substantias completas corporeas, in quibus clauditur anima; non quòd hæc corporea sit, sed quia est pars hominis corporei: sextus circa actus liberos supernaturales: alius circa futura libera naturalia: alij respondentem mathematicis, &c. tandem alius, qui natura sua pendeat à phantasmatis circa obiecta, vt in cognitione dependent à sensibus.

§. 135. Dico Tertio: Hac in re nihil potest esse certum: non enim repugnat de potentia absoluta vnus habitus circa hæc omnia, & cum his modis: quid autem sit, non possumus certò scire: mouemur tamen probabiliter, tum pro diuersitate obiectorum, tum pro Doctorum auctoritate.

SECTIO XIII.

De speciebus impressis, quibus vititur hac scientia.

SVBSECTIO I.

De supernaturalitate harum specierum.

§. 136. **S**pecies impressa potest esse propria & quidditatiua obiecti; vel potest esse impropria,